



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

7. De infinita amabilitate Dei, quæ quois peccato offenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tem subierit : imò quanto desiderio hæc omnia, & multo plura, acerbiora & indigniora pati totâ vitâ exoptarit : ac proinde quid tibi pro peccatis proprijs meritò tolerandum foret? An non meritò exclamandum & sentiendum cum D. Augustino: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Et cum Psalmista: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, paratum cor meum Deus,* ad patiendum quicquid vis amore tui ad satisfaciendum infinitæ iustitiæ tuæ, quam utinam nunquam offendissem!

Pf. 115.

VII. *De infinitâ amabilitate Dei, quæ quovis peccato offenditur.*

I. **E**Xpende quàm infinitè bonus & amabilis sit Deus, ideoque infinito honore, amore, obsequio plusquam dignissimus, qui tamen quovis peccato vilipenditur, offenditur, contemnitur. Et primum quidem quàm latè se extendat eius bonitas & amabilitas, videlicet ad omnem omninò rationem bonitatis & amabilitatis etiam imaginabilis & possibilis. Continet enim in se Deus eminentissimè i. Omnem rationem boni honesti, cum sit ipsa infinita maiestas, magnificentia,
sapi-

sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, sanctitas, principium omnis maiestatis, magnificentiæ, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, sanctitatis. 2. **O**mnem rationem boni vtilis, cum sit ipsa infinita benignitas, munificentia, liberalitas. origo omnis benignitatis, munificentiæ, liberalitatis.

3. **O**mnem rationem boni iucundi ac delectabilis, cum sit ipsa infinita pulchritudo, dulcedo, suauitas, amabilitas. fons omnis pulchritudinis, dulcedinis, suauitatis, amabilitatis. Quàm indignum ergò, hanc infinitam Dei bonitatem & amabilitatem à peccatore negligi, sperni & postponi ludicræ gloriolæ, exiguo lucullo, euanidæ voluptatulæ? O quàm clarè hoc agnoscunt, sed serò nimis, qui apud inferos sic vociferantur: *Ergò errauimus à via veritatis. Quid profuit nobis superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa tanquam umbra.* His ponderatis elicienda contritio ex puro amore Dei, vt & in sequentibus punctis:

It. Expende quam sublimis, profunda & incomprehensibilis sit illa Dei bonitas & amabilitas in omni ratione boni & amabilis; vtpote cui omnis bo-

nitatis, & amabilitas, quæ in creaturis omnibus, etiam possibilibus, posset reperiri aut concipi, nulla sit collata huic infinitæ bonitati & amabilitati Dei, cum hæc infinita sit & indefectibilis, quæ nec deficere, nec augeri, nec minui queat: insuper non creata & accidentalis, sed increata & substantialis, imò realiter idem cum Deo: illa verò sit finita & defectibilis, creata & accidentalis, quæ reipsâ deficit, nec unquam in eodem statu permanet. Quanta ergo iniuria infertur infinitæ Dei amabilitati, cum despicitur & conculcatur amore vilissimæ bonitatis in creaturis apparentis?

III. Expende, quàm longæua sit hæc ipsa Dei amabilitas & bonitas, videlicet coætæna ipsi Deo. Quanta ergo dementia est, quanta temeritas, momentaneam voluptatem gloriolamve illi præponere? Heu, quoties id fit à cæco peccatore, qui bibit quasi aquam iniquitatem? quoties is auertit se ab infinitè amabili creatore, & conuertit se ad abominabilem creaturam?

(...)

Domini.